

## A. M.

Xantianker ezikos dogmaton

scholae ethices dogmatum **EMMANUEL BERNARDUS DE RIBERA, ORD. SS. TRIAD.**  
 Doctor Salmantic. ac<sup>l</sup> xριστιανῆς ηθῶν δογμάτων professor, Cl. V. &  
 panagaze pano. 2. op̄mo. 3. om̄rcio  
 rev. adm. P. M. Fr. Thomae Mar. Mamachio, Ord. Praedic. Theo-  
 logo Casanatensi, cum primis ταυτάγαθω, ετ̄ verè πάνσοφω S. P. D.

ROMAM.

**M**IHI vero, Magistrorum politissime, ne somnianti quidem obversari unquam potuit, me meaque Opuscula peregregiis ab te laudibus commendatum iri. Nihil profectò in codicibus, aut libris meis offendō, quod sapientissimo tibi non debeat esse despiciatur. Id scriptum (τρισδιάσπα dixeris) quod tantopere praedicas, si flocci haud pendendum, non propterea quod concinnum sit, ετ̄ dextro Appolline genitum; immane enim quantum ab his do-  
 tibus abeat: sed quia ab uno patefaciundae veritatis amore, una populandae nebulae, ετ̄ rabularum audaciae cupidine suapte sponte delabitur.

Summam mei erga S. Thomam observantiam quod attinet, non est cer-  
 tè, cur ex èa mihi habeas gratias, nedum referas. Praeceptorē Angelicum effictim demorior: ipse mihi jugibus in deliciis: ipsius Opera dies in singulos pugilicè volvo, imò vero non tam lego, quam mando, ut lautissimo ετ̄ nec-  
 tareo alimonio mens educetur: nec polypus constantius haeret scopulo, quam mirificis ego illius scriptis. Verum quid? In his omnibus non Divi Thomae res agitur; sed mea: quaestu ducor, lectissimæ, atque gemmis cunctis pre-  
 tiosioris doctrinæ percipidus. Divus Thomas, in cuius voluminibus nihil non basilicè differitur, unus est mihi τὰ τάρτα. Ibi quandoquidem Philosophiae arcana, Theologicae abdita, Mathēeos problemata, Medicinae φανόρων, utriusque Jurisprudentiae firmamenta, altioris atque sagacioris ηθῶν dogma-  
 ta, aliarum disciplinarum δεωγηματα, nimis sitienter ēbibo: ετ̄ quod miri est,  
 sensa argutissima, cogitationesque sublimè fatas (nostratum idiomate con-  
 ceptos) perquam pangendis carminibus oportunas īdīdem profici sc̄i cōperi.  
Quamobrem si fortè in cuiusdam hispanis strophis hos versus deprehenderis:

Tambien tienen los sentidos

Su poco de entendimiento.

ne ab ejus ingenio inventum existimes; ex Summa quippe Praeceptoris Ang. excerptum est. Nolim tibi suspicio incessat, in hisce me laudibus aliquantum assentari. Aperte ετ̄ praeſcīne loquor. Quicquid scio, Divi Thomae est:

est: ipsi acceptum referre debeo, atque ingenuè, & sine intermissione referto. Iccircò non tua mihi, sed mea interest Sancto Doctori grati animi testificationem exhibere.

Super Muratorio, & Barbadinho oracula fundis. Ii nimirum, & quos in Institutionibus meis, & cit. Scripto perstrinxi, Bátavos quosdam aemulantur, quibus nihil antiquius, quam ut SS. Patrum nomen, & studia discerpant. Effrenatissimi homunciones! qui σοφιαν της παιδειας fastidiunt. Loquaciores citeriā, atque umbrā süberis multò leviores, de scientiis, artibus, & quibusvis rebus υπερέγοντας γότερον garriunt: quae in Academiis disciplinas coluntur, susque deque habent: Academiae deditos cachinnis excipiunt: aliorum Opera quum perpetuò sub formulā judicent, sua, in quibus nihil nisi Hercules & simia, nunquam non produnt ex aequo & bono judicanda: ipsorum sermo sibi videtur esse παντολογία; re tamen verà παντολογία est nullis non spurciis longe putidior: qui unā secum non sentiunt, bardos & stipites appellant, atque de eorum inscitiā cum suis congerribus usque ad ravim vociferantur: uni postremò superbiloquentiae, & garrulitati quum verniliter student, de cetero quod ad veritatis ac doctrinae viscera spectat, dormiunt in utramque: ne γρηγορίον quidem.

Id ergo genus hominibus, mali adeo commatis, quoque fors regit pessima, religione tangerer, si intrepide nuncium non remitterem. Nempe fremit licet impendio ipsorum invidia, catholici sunt nobis scriptores sapientissimi, oppido exculti, atque ad rigidioris critics leges exacti, quorum gloria (quae sua ipsorum modestia est) delitescere poterit; obliterari vero non poterit. Hos inter eruditissime Thoma (ne tuas coram laudes auscultans, quasi ad perraram stupeas novitatem, fac memineris Menandrinum illud:

7. Τιμω μενοι τοις πάντας ἱδοντας βροτοι.)

negotio emines facillimo, cum libris cedro dignissimis, quos tui praeclarissimi rebus Sodalitii illustrandis concinnasti, tum praesertim ad Origines & Antiquitates Christianas evolvendas institutis, qui mihi prae manibus. Nihil me-dius-fidius viderim limatus, nihil firmius, nihil uberior. Ita lyncēis oculis secretiora pervádis adyta, sic in priscorum monumentorum sinibus explorando consistis, eo denique perspicaci ingenio implicatissima retexis, ut super quam nactus es, & cumulatissime ornasti, sparta prænibili, vel exiguae asseuenda appendicis spem omnem securoris præcideris. Idem libri procul dubio παντοπλία sunt, qua in christiani nominis hostes quemvis lectorem tui fortiter & strenue communis. Tametsi enimvero in eodem opere apprime splendent singulare acumen, paene incredibilis εγκυρωταισια, subactum judicium, eximia elegantia, clarissimus nitor, & pleraque aliae dotes; qua mihi omnium caput esse videtur, una est pietas, qua auspicato de sacris disseris, & differere addoces. Ecquid tamen contingat oportet, si tua isthaec

sofiar eai paideian  
1. sapientiam. 2. disciplinam  
urteor exerceor  
3. turbato oxidore.

pantologia  
4. caro quā omnia sicut.  
caecologia  
5. malescentia.

gru  
6. nec tantillum respondent

Etimonemoi pax pater edontai  
baetoi  
Thomonati omni. delectan-  
tux homines.

Pantologia  
8. Pantologia, annatuna zotum  
coyon regem:  
encyclopaideia  
+ Encyclopedie, disciplinarum ob-  
bix, exaudito

volumina cum praedictorum cacocriticorum scriptis conferantur? Papae!  
Quantum distant aera lupinis! Dirae me perduint, si assentationis aliquid  
in praecipientibus periodis intexuero.

Ergo Magister undeliberat venerande, Di te sospitent, fortunentque, ac  
perennare faciant tui Ordinis splendori, studentium solamini, Reipublicae lit-  
terariae columni, Europae ornamento, atque pseudosapientum omnium mas-  
tigi. Absolvi ad epistolam. Et sane licet his meis litteris fortasse tibi respon-  
disse videar, eadem, si te scientissimum alloquenti voculis ludere fas est,  
minime respondent litteris tuis. Scilicet plumbum qui auro simile? Cura ut  
valeas, meaque omnimodis, ut tibi libitum fuerit, opera uitior. Atque ego,  
pro summa qua me adversum es benivolentia, quas non possum gratias re-  
pendere, habebo, et agam immortales. Omnes praeterea conatus mei refe-  
rentur ad obsequium tui, nec quicquam commitam, nisi ut officia in te  
mea perpetim constent. Salmanticae A. D. XVII. Kal. Jun. an. Dom.  
CICCLXIII.

P. D.

Superiore mense rescribere con-  
stitueram: sed praepediit, qui  
paullo diutius divexavit me, di-  
rus ille morbus, qui latinis dici-  
tur ignis sacer, & apud graecos  
audit ερυθραιας. Iterum vale.

*Superioris uocis sonus est  
vix & siibodenq. 131. tunc  
est. aut rivozovibz sibi  
superioribus dicitur ut  
aut illi sonus dicitur ut  
etiam sibi sonus dicitur.*

2

